

luisse scripti illius auctorem. Non enim de vocibus aut verisimilitudine disceptatur: At de re ipsâ, ejusque inconcussâ certitudine. Unde mihi nugari, & non profecturis littora bobus arare videntur omnes illi Theologi, qui, ut suorum dogmatum veritatem ostendant, aut aliorum falsitatem redarguant, S. Scripturæ loca quàmplurima, in quibus eadem, aut à suâ sententiâ non multùm discrepantes, voces occurrunt, undiquaque corradunt, atque coacervant, omissâ, quod præcipuum est, demonstratione, quâ evidenter doceatur, idem id, quod illi contendunt, in animô habuisse, istorum locorum divinos scriptores. Quapropter etiam nullô jure ab Adversariis aliam suarum probationum refutationem, aut suarum objectionum solutionem mereri, aut exigere posse videntur, quàm nudam, ac simplicem suorum argumentorum negationem, quâ sibi omni ex parte satisfactum fateri debent; nisi se procul ab omni disputandi ratione remotos, & genuinæ demonstrandi Methodi planè rudes esse, ostendere voluerint. Hâc jam stratâ viâ si incedere animus esset, possemus & nos pro jure nostrô prolixam hîc loci Responzionem declinare, tantùm inficias eundô, ullos S. codicum textus assertioni nostræ adversari, aut contradicere, cùm id nondum ab ullô Theologô probatum sit, nec unquam probari poterit: Sed libet impræsentiarum esse largioribus, atque ultrò defensionem nos accingere, ostenderéque, nulla, quæ passim ex Dei verbô adducuntur à Theologis loca aut nostræ sententiæ repugnare, aut ejus probationem labefacere.

2. Hoc autem ut debitè præstemus, considerandum imprimis venit, vocabulum Philosophiæ, aut sapientiæ, ambiguum esse, atque tam veræ, quàm apparenti passim attribui. Vera (de quâ cap. 5. sermo fuit) ea est, quæ in Dei Rerumque creatarum solidâ cognitione, atque indefessâ veri boni prosecutione consistit. At contrâ sapientia apparens est, quæ vanas de Deô, Rebusque creatis venditat opiniones, & conjecturas, quas humana mens præjudiciis, à sensibus, & ex malâ educatione, ac institutione haustis, obsita, & unâ alterâve superficiariâ observatione adjuta, excogitavit, ac per verisimiles tantùm rationes, & obscurè confuséque perceptas adstruxit, & inanibus distinctiunculis, ac argutiarum subtilitatibus tueri necesse habet: quæque insuper bona, non vera, sed apparentia, quæ ad caducas hujus vitæ commoditates pertinent, qualia sunt honores; divitiæ, voluptates, fama, & similia, cæcô impetu, ac pertinaci labore sectatur, atque prosequitur. Cùmque apparens hæc sapientia inania captet, multô verborum eget apparatu, multâ sermonis opus habet grandiloquentiâ, quò mentis oculis imponat, hominesque ad se pelliciat: quæ omnia, cùm veritas nuda gestiat conspici, aspernatur, &, ut sibi inutilia, ac impedimento futura rejicit sapientia vera, ornarique negans, solùm est contenta doceri.

G

3. His